

Spirit. lib. 4. tit. 11. *Sive ex ignorantia, sive ex malitia hoc fecerint, non sunt ab invicem separandi, nec alter alteri debitum debet subtrahere . . . quia si ex ignorantia id factum est, eos ignorantia excusare videtur: si ex malitia, eis sua frans non debet patrocinari vel dolus.* Nec est paritas inter munus Patrini in necessitate à parentibus subeundum, & inter baptismationem in casu necessitatis à parentibus factam, baptismatio enim est omnino necessaria, unde non inducit cognationem spiritualem inter parentes, si scienter fiat in casu necessitatis. In necessitate autem Patrinus non est necessarius. 7. mō. Jure communi Patrini esse prohibentur Religiosi Can. non licet 103. desumpto ex Con. Antisiodorensi in quo ita: *Non licet Abbati vel Monacho de Baptismo suscipere filios; nec commatres habeant* idem dicitur in Can. Monachi 104. de Consecr. dist. IV. idem habet Rituale Romanum Jussu Pauli V. editum.

## DISPUTATIO XVIII.

*De Subjecto, Necessitate & Effectu Baptismi.*

**C**IRCA Subjectum & necessitatem Baptismi pulchrè Innoc. IV in cap. majores 3. de Bapt. & ejus effect. Lib. 3. Tit. 42. *Cùm circumcisio tam adultis quàm parvulis ex praecepto Domini conferretur, ne Baptismus, qui succedit loco ipsius, & generalior tamen existit, cùm tam viri quàm feminae baptizentur, minoris videatur effectus: tam adultis quàm parvulis est conferendus. Sicut enim sine distinctione qualibet Mosaisca Lex clamabat: Anima cujus præputii caro circumcisa non fuerit, peri-*

I  
peribit  
Evang  
Spiritu  
hac gen  
quibus  
Baptism  
demonst  
spiritual  
ius disc

Quodnan

CERTU  
qu  
Baptismi  
adhuc in  
jam in ut  
DICC

secundum  
Fili bap  
unde indi  
Sive om  
scendens  
tus, est S

Probat  
ma Bapri  
nem, ill  
illi, qui  
dens ex u  
baptizatu  
in se aqua  
ita ut habe  
ritualis re

Pars 1

peribit de populo suo : *Ità indistinctè vox intonat Evangelica* : nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum Dei : *Ab hac generalitate nec sexum nec aetatem excludens.* In quibus tum Subjectum, quod possit Sacramentum Baptismi suscipere, tum suscipiendi necessitas aperte demonstratur; effectus verò Baptismi est perfecta spiritualis regeneratio. De quibus omnibus ut latius discutiantur, sit

### Q U A E S T I O I.

*Quodnam sit Subjectum, quae Dispositio & quinam Effectus Baptismi?*

**C**ertum est ex dictis de Sacramentis in genere, quòd solus homo Viator sit Subjectum capax Baptismi, verùm dubitari potest tum de homine adhuc in utero matris existente, tum de eo, qui jam in utero matris esset sanctificatus.

**DICO I.** *Homo non generat generatione carnali secundum spiritum sed secundum carnem, & ideo Filii baptizatorum cum peccato originali nascuntur: unde indigent baptizari, S. Th. hic Q. 62. a. 1. ad 2.* Sive omnis ex Adamo carnali propagatione descendens ex utero materno natus nondum baptizatus, est Subjectum capax Baptismi.

**Probatur:** Cui potest applicari materia & forma Baptismi ita ut practicam habeat significationem, ille est Subjectum capax Baptismi; atqui illi, qui ex Adamo carnali propagatione descendens ex utero materno natus est, & nondum est baptizatus, potest applicari materia: quia potest in se aqua ablui, sub præscriptâ verborum formâ, ità ut habeant in eo practicam significationem spiritualis regenerationis: cum nondum spiritualiter

lit regeneratus ; ergo est capax Baptismi ; licet autem extra necessitatem debeat expectari perfecta baptizandi ex utero materno egressio , in necessitate tamen imminente mortis periculo ille , qui ex parte egressus est , debet baptizari & quidem si primò caput egrediatur , in quo fundantur omnes sensus , debet baptizari periculo imminente , & non est postea rebaptizandus , si cum perfectè nasci contigerit. Et videtur idem faciendum , quacunque alia pars egrediatur , periculo imminente , quia tamen in nulla exteriorum partium integritas vita consistit , sicut in capite videtur quibusdam , quod propter dubium , quacunque aliâ parte corporis abluta , puer post perfectam nativitatem sit baptizandus sub hac forma , si non es baptizatus , ego te baptizo. ita S. D. hic Q. 68. a. 11. ad 3.

Q. Quid si possit humanâ diligentia tangi proles in parte principali in se ipsa adhuc in utero materno existens , an valeat Baptismus ?

R. 1. Certum est , quòd non sit baptizata per hoc , quòd ipsa mater abluatur aquâ sub debita forma : quia licet censeatur esse pars matris , quâdiu nondum est in lucem edita , propterea , quòd corpus ipsius corpori matris cohæreat , est tamen verè homo à matre distinctus ob distinctam animam , quâ vivit.

2. Probabile est hunc Baptismum valere , modo verè in se abluatur infans cum debita forma & intentione : tum quia Ratio S. Th. cur non possint infantes adhuc in utero materno existentes baptizari , est : quia non possunt subjici actioni humanæ in se ; ergo supposito , quòd in se reverà possint subjici actioni humanæ , possunt validè baptizari. Tum quia natus carnaliter tali nativitate , quâ contraxit peccatum originale simul cum natura

I  
natura  
te in u  
tiata st  
ginale.  
Non  
modo  
iteratio  
deatur t  
uterum  
Contra  
cessitate  
codemo  
natos in  
tione, po  
DICO  
necesse es  
racteris  
Th. loc.  
Probatur  
Baptismo  
&c. qui  
compreh  
tum quia  
Gratiae sa  
ramento  
capaces re  
de B. Vi  
scenderit ,  
sententiam  
non tantum  
facto à Ch  
set Baptism  
ex natura t  
quod , li  
debuisset t  
Redemptio

natura potest spiritualiter renasci; atqui nativitate in utero, quâ incepit infans esse homo ex vitiata stirpe descendens, contrahitur peccatum originale.

*Non obstat*: quod Nicodemo dubitanti: quomodo possit homo renasci, an in uterum matris iteratò intrare possit: Christus respondens videatur supponere regenerandum debere esse extrâ uterum maternum.

*Contra* enim est: quòd Christus exponebat necessitatem absolutam tum præcepti tum medii Nicodemo adulto, per quod non negavit, jam taliter natos in utero, ut indigeant spirituali regeneratione, posse renasci.

DICO 2. Si aliqui nunc sanctificarentur in utero, necesse esset eos baptizari, ut per susceptionem characteris alius membris Christi conformarentur S. Th. loc. cit. ad 3.

*Probatur*: Præceptum Christi de suscipiendo Baptismo est generale: baptizantes eos in nomine &c. qui crediderit & baptizatus fuerit &c. ergo comprehenderentur etiam in utero sanctificati, tum quia essent capaces characteris & augmenti Gratiæ sanctificantis; tum quia essent visibili Sacramento incorporandi Ecclesiæ; tum ut essent capaces recipiendi alia Sacramenta. Unde etiam de B. Virgine, quæ licet ex vitiata stirpe descenderit, peccatum tamen originale juxta piam sententiam non contraxit, probabilius est, quod non tantum capax fuerit Baptismi, sed etiam de facto à Christo fuerit baptizata, ut enim capax esset Baptismi, sufficiebat, quòd esset capax gratiæ ex natura sua sufficientis delere peccatum originale, quod, licet B. V. de facto non contraxerit, debuisset tamen contrahere, nisi ex speciali gratia Redemptoris fuisset præservata. Z 2 Cui

*Cui non obstat*: Quòd B. V. non fuerit capax formæ absolutionis Sacramenti Pœnitentiæ; quia forma absolutionis prærequirit confessionem, confessio est accusatio de peccato, cuius vel jam de factò vel aliquando reus fuit recipiens Sacramentum Pœnitentiæ; B. Virgo verò nullam unquam culpam admisit, & sic Confessionis fuit incapax, & consequenter etiam absolutionis; at forma Baptismi nullam prærequirit accusationem.

Similiter controvertitur, an ille sit baptizandus, vel Baptismi capax, qui miraculosè natus esset ex femore viri, ut referunt quandoque esse factum aliquæ historiæ. Cujus veritate suppositâ & concessò, quòd talis contraxerit peccatum originale, absque dubio foret baptizandus in remedium peccati originalis; si verò non contraxisset peccatum originale, quia ab Adamo non descendisset viâ ordinariâ generationis, valde dubium foret: an esset baptizandus, ut fieret pars Ecclesiæ & mediante caractere esset capax cæterorum Sacramentorum; cùm Baptismus pro solis posteris Adami principaliter in remedium peccati originalis sit institutus.

DICO 3. *Sicut Sacramentum Baptismi non est conferendum ei, qui non vult ab aliis peccatis recedere, ita etiam nec ei, qui non vult infidelitatem deserere.* S. Th. hic Q. 68. a. 8. ad 4. Sive ad fructuosam & licitam Baptismi susceptionem requiritur in adultis recta fides & attritio supernaturalis de peccatis.

*Prima Pars probatur*: tum ex illis, quæ dicta sunt I. 2. Disput. XXVIII. Q. II. tum specialiter ex S. Scriptura Marc. ult. v. 15 & 16 *Euntes in mundum universum, predicare Evangelium omni creatura, qui crediderit & baptizatus fuerit, sal-*

*um erit : qui verò non crediderit , condemnabitur.*  
 Unde baptizandus debet credere actu supernatu-  
 rali, ea esse vera, quæ divinitus revelata & pro-  
 missa sunt, & illud imprimis : à Deo justificari  
 impium per gratiam. Deum esse trinum & unum,  
 Mysterium incarnationis & extrà casum necessita-  
 tis omnia, quæ continentur in symbolo Apostolo-  
 rum, & reliqua, quæ explicitè credere debet quili-  
 bet baptizatus ; quòd autem hæc non requirantur  
 ad valorem Baptismi, patet ex praxi Ecclesiæ,  
 quæ non permittit quemlibet adultum voluntariè  
 baptizatum iterum baptizari, quantumvis constet,  
 illum tempore, quo fuit baptizatus, fuisse infi-  
 delem, Judæum &c. Ita etiam S. August. Lib. 1. de  
 Bap. cap. 1 § relatus can. sicut in Sacramentis 151. de  
 consecr. dist. IV. *Non interest, cum de Sacramenti in-  
 tegritate & sanctitate tractatur, quid credat, &  
 quali fide imbutus sit ille, qui accipit Sacramentum,  
 interest quidem plurimum ad salutis viam, sed ad  
 Sacramenti questionem nihil interest.*

*Secunda Pars probatur :* Sacramenta quæ ex sua  
 institutione ordinantur ad conferendam primam  
 gratiam justificationis, ideoque dicuntur Sacra-  
 menta mortuorum, non prærequirunt aliam dis-  
 positionem, quàm veram attritionem supernatura-  
 lem, per quam homo absolutâ & efficaci volun-  
 tate detestetur sua peccata, cum firmo proposito  
 non peccandi de cætero : nam sine tali motu vo-  
 luntatis nullum peccatum secundum ordinariam  
 Legem Dei remittitur ; atqui Baptismus ex vi in-  
 stitutionis suæ est Sacramentum mortuorum: videli-  
 cet Sacramentum regenerationis, ergo ad illum  
 requiritur & sufficit attritio supernaturalis, nec re-  
 quiritur contritio perfecta: quia hæc ante Sa-  
 cramenti

cramenti susceptionem justificat,

*Si queras: an adultus habens solùm peccatum originale absque personali teneatur elicere attritionem ad consequendum effectum Baptismi?*

*R.* Quòd in Sententia S. Th. casus hic sit impossibilis: ubi enim homo venerit ad usum rationis, aut justificatur & mundatur à peccato originali per efficacem conversionem in Deum, aut peccat mortaliter se non convertendo in Deum. Dato tamen hoc casu, videtur, quòd non requiratur attritio, quippe quæ non potest esse, nisi de proprio peccato præterito, quale nullum admisso hoc casu adesse supponitur. Sufficiet igitur alius actus supernaturalis v. g. propositum efficax christianè vivendi ad consequendam vitam æternam.

**DICO 4.** *Per Baptismum omnia peccata tolluntur.* S. Th. hic Q. 69. a. 1. ad 3.

*Probatur 1.* ex illo Ezech. 36. v. 25. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris & Il. 1. v. 16. Lavamini mundi estote.* quos Textus SS Patres exponunt de Christo promittente remissionem peccatorum per lavacrum regenerationis signanter S. Aug. Lib. 3. de doct. Christ. cap. 34. tom. 3.

*2.* Ex Trid. Sess 6. de justif. cap. 7. *In ipsa justificatione (quæ fit per Baptismum) cum remissione peccatorum hac omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, Fidem, Spem & Charitatem.* & Sess. 5. de peccato orig. Can. 5. *Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, qua in baptismo confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet: sed illud dicit tantum radi aut non imputari, anathema sit; in renatis enim nihil odit Deus:*

*quia*

quia nihil est damnationis iis, qui verè consepulti sunt cum Christo per baptisma in mortem, qui non secundum carnem ambulant sed veterem hominem exuentes & novum, qui secundum Deum creatus est, induentes, innocentes, immaculati, puri, innocui ac Deo dilecti effecti sunt heredes quidem Dei, cohæredes autem Christi; ita ut nihil prorsus eos ab ingressu cæli remoretur. ita Trid. ex quo sequitur: non tantum originale, sed & personalia tam mortalia quàm venialia, quorum complacentiam non habet, adulto remitti per Baptismum: cum per venialia etiam ingressus cæli retardetur; ratio horum est: quia Baptismus est à Christo ordinatus in finem spiritualis regenerationis, quæ non est sine remissione omnium peccatorum. Unde non tantum culpa, sed etiam omnis pœna per Baptismum tollitur: Si enim remaneret in baptizato aliqua pœna etiam temporalis solvenda, adesset impedimentum remorans ab ingressu cæli, quale juxta Trid. nullum est post Baptismum; ergo etiam pœna temporalis post Baptismum remittitur; unde Ecclesia baptizatis nullam imponit satisfactionem: cum hæc imponatur pro pœna post remissam culpam remanente, & juxta S. Th. hic a. 7. Proprius effectus Baptismi est apertio Regni cœlestis; id est ablatio omnium impedimentorum ab ingressu cæli prohibentium; non tamen auferuntur omnes pœnalitates, ut constat experientiâ & rationes congruentiæ assignat S. D. hic a. 3. quarum prima est: quia per Baptismum homo incorporatur Christo & efficitur membrum ejus, Christus autem Caput nostrum passus est has miseras, igitur etiam conveniens est, ut homo ab his miseriis non sit exemptus. Secunda est, ut nobis detur major occasio meriti & coronæ in præmium victoriæ. Tercia



ria est: ne homines magis accelerarent ad Baptismum ob hujus vitæ temporalis calamitates evadendas, quàm ad alterius æternæ vitæ miseras effugiendas.

DICO 5. *Per Baptismum aliquis consequitur Gratiã & Virtutes* S. Th. hinc Q. 69. a. 4. O.

*Probatur*: De facto in statu naturæ elevatæ juxtà dicta 1. 2. Disp. XXVII. non remittuntur peccata, nisi per Gratiã sanctificantem; ergo si per Baptismum remittantur peccata, infunditur Gratiã sanctificans: & quia Virtutes infusæ & dona cum Gratiã tanquam proprietates cum Essentiã sunt connectæ, etiam illæ simul dantur baptizato sive parvulo sive adulto: est autem hæc Gratiã juxtà dicta de Sacramentis in genere specialis: quia quodlibet Sacramentum novæ Legis confert simul jus ad auxilia specialia necessaria ad finem, ad quem Sacramentum est institutum, consequendum; hinc Gratiã Baptismi habet annexum jus ad auxilia specialia, quibus homo adjuvatur ad servanda Christi & Ecclesiæ præcepta: cum hic sit finis proprius Baptismi.

*Denique*: Quia per Baptismum aliquis fit membrum Ecclesiæ, quæ est corpus Christi; hinc per Baptismum subicitur Jurisdictioni & Autoritati illius, qui tanquam visibile Caput præest Ecclesiæ, & hujusmodi effectus provenit etiam ex Baptismo infantium, ita, ut postquam adoleverint, Ecclesia eos possit pœnis coercere, cum opus fuerit: ut definivit Trid. Sess. 7. de Bapt. Can. ult. *Si quis dixerit hujusmodi parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogandos esse, an ratum habere velint, quod Patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt: & ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos, nec aliã*

ad

ad interim poenâ ad Christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucharistia aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant, Anathema sit.

Q. 1. Qualis effectus sequitur ex Baptismo ex institutione Ecclesiæ?

R. Præter illos effectus, qui ex Baptismo oriuntur ex institutione Christi, ex institutione Ecclesiæ sequitur ex Baptismo cognatio spiritualis, quæ juxta Trid. Sess. 24. de reform. Matr. cap. 2. oritur inter baptizantem & baptizatum, inter baptizantem & utrumque Parentem baptizati, inter Patrum & Parentes baptizati. *Ratio congruentia est*: quod sicut ex generatione carnali contrahitur cognatio carnalis, quæ est impedimentum dirimens matrimonium ob reverentiam consanguineis debitam, ita conveniens fuit, ut secundum ordinationem Ecclesiæ ex generatione spirituali contraheretur cognatio spiritualis, quæ foret impedimentum dirimens Matrimonii, propter reverentiam debitam concurrentibus ad hanc generationem spiritualem: nam baptizans respectu baptizati habet se instar Patris, & susceptor seu Patrum instar Matris baptizatum nomine Ecclesiæ in suum gremium recipientis, quâ de causâ cognatio spiritualis, quæ intercedit inter baptizantem & baptizatum, uti etiam inter Patrum & baptizatum vocatur Paternitas, cognatio autem, quæ est inter baptizatum aut Patrum & Parentes baptizati, vocatur conpaternitas.

Q. 2. Quid requiritur ad contrahendam hanc cognationem spiritualem?

R. Ut Patrum hanc cognationem contrahant, hæ conditiones requiruntur. 1. modò. Debet Patrum vel per se vel per procuratorem baptizandum reali-

ter tenere: quia jura, quæ statuunt cognationem  
 spirituales, utuntur his terminis: tenet, susci-  
 pit, levat, tangit &c. Dixi: vel per procurato-  
 rem: quia quilibet potest facere per procuratorem,  
 quod potest facere per seipsum, nisi prohibeatur,  
 nullibi autem prohibitum est obire munus Patrini  
 mediante procuratore, sed id est in communi  
 praxi, ideoque vel nullus Patrini erit, quando  
 procurator nomine alterius puerum levat, vel  
 principalis cognationem spirituales contrahet.  
 2dò Debet illa realis susceptio fieri, dum Sacra-  
 mentum Baptismi validè confertur, ideoque, qui  
 tenet puerum, dum suppleantur Cæremoniæ in  
 Baptismo privato ommissæ, non contrahit cogna-  
 tionem spirituales: quia non suscipit in Baptis-  
 mo, qui jam præcessit. 3tò. Debet esse aliqua  
 virtualis aut implicita intentio fungendi munere  
 Patrini: quia per officium Patrini subit quis obli-  
 gationem quasi Sponsoris & Fidejussoris pro bap-  
 tizato, quæ obligatio non nisi volenti imponitur;  
 unde qui juvandi tantum causâ teneret puerum,  
 cognationem non contraheret; sufficit tamen,  
 quòd suscipiens habeat intentionem exercendi mu-  
 nus Patrini, tametsi nullam habeat intentionem  
 contrahendi cognationem spirituales, aut fortè  
 contrariam: quia cognatio spiritualis sicut etiam ob-  
 ligatio instruendi baptizatū muneri Patrini ex insti-  
 tutione Ecclesiæ est essentialiter annexa. 4tò. Debet  
 esse designatio Patrini à parentibus, vel in illorum  
 defectu à Parocho facta, an autem hæc designatio  
 Parentum vel Parochi ita necessaria sit, ut non tan-  
 tum in casu, quo alius, quàm à Parentibus aut  
 Parocho designatus, infantem in Baptismo tenet,  
 ipse non contrahat cognationem spirituales, sed  
 etiam ita, ut si nemo sit in Patrini designatus,  
 neniq

nemo  
 cogna  
 tentia  
 contra  
 clefiæ  
 ter non

An B

DIC

esse hom

nr. S.

est omni

voto su

ad salut

Prsm

to Joan

Florent

Decr. d

dicitur

liberum

de adule

rum su

præcept

tale aute

ligatio e

posset a

Christo

tum usu

ante arti

non pos

obligatio

nemo etiam ex tenentibus infantem contrahat cognationem spirituales: dubium est; pro sententia affirmante, quod nihilominus cognationem contrahat, est, quod satisfaciatur intentioni Ecclesie volentis, ut Baptismus sine Patrino solemniter non conferatur.

## Q U Æ S T I O II.

*An Baptismus sit omnibus necessarius necessitate  
medii?*

**D**ICO: Pro tanto dicitur Sacramentum Baptismi esse de necessitate salutis: quia non potest esse hominis salus, nisi saltem in voluntate habeatur. S. Th. hic Q. 68. a. 2. ad 3. Sive Baptismus est omnibus omninò hominibus adultis in re vel in voto susceptus, infantibus autem re ipsa susceptus ad salutem necessarius.

*Prima Pars probatur:* Ex generali Christi effato Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit &c.* & ex Florent. in Decret. Unionis & ex Trid. Sess. 5. in Decr. de pecc. orig. & Sess. 7. Can. 5. de Bapt. ubi dicitur *Anathema* asserentibus: Baptismum esse liberum, id est: non necessarium ad salutem: unde adultus, quamprimum potest tenetur Baptismum suscipere: quia omnibus Jure Divino est præceptum adhibere media ad salutem necessaria, tale autem medium est Baptismus, neque hæc obligatio est restringenda ad articulum mortis: aliàs posset aliquis absque peccato manere separatus à Christo, extra Ecclesiam, absque Sacramentorum usu usque ad articulum mortis; ergo obligat ante articulum mortis; cum verò in decursu vitæ non possit designari aliud certum tempus hujus obligationis, dicendum est, quod præceptum hoc obli-

obliget adultos quamprimum illud moraliter implere possunt; quod addo: quia ex justis causis potest quandoque differri Baptismus.

Porro, quod Baptismus in voto aliquando sufficiat ad consequendam salutem, constat imprimis ex doctrina Trid. Sess. 6. de Justif. cap. 4. ubi agens de translatione hominis à statu peccati ad statum gratiæ dicit: *Que quidem translatio post Evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non potest.* deinde ex cap. debitum 4 de Bapt. in quo de Judæo seipsum ex desiderio Baptismi in aquam immergente cum prolatione formæ super se ipsum dicitur: *Si talis continuo decessisset, ad cœlestem patriam protinus evolasset propter Sacramenti fidem, etsi non propter fidei Sacramentum.* & cap. Apostolicam 2. de Presb. non bapt. in quo de putativo Presbytero sine Baptismo defuncto ita: *Quia in sanctæ Matris Ecclesiæ fide & Christi nominis confessione perseveraverit ab originali peccato solutum & cœlestis Patriæ gaudium esse adeptum, asserimus incunctanter.* Probatque illud Innoc. III. ex lib. 8. de Civit. Dei S. Aug. & ex S. Ambrosio de obitu Valentiniani, qui censet Valentinianum, licet sine Baptismo mortuum, nihilominus salvatum esse per votum Baptismi, & S. Aug. lib. 4. de Bapt. cap. 22. Tom. 7. dicit: non tantum martyrium, sed etiam fidem & cordis conversionem ad Deum, supplere vices Baptismi, quando reipsâ non potest percipi. Denique ex communi sensu & doctrinâ totius Ecclesiæ, quæ præter Baptismum fluminis & sanguinis etiam agnoscit Baptismum flaminis, qui nihil est aliud, quàm votum Baptismi.

*Secunda Pars* intellecta extrâ casum martyrii etiam definita est à Trid. Sess. 5. de pecc. orig. &

Sess.  
Christ  
quis re  
Trid.  
test,  
quod  
quam  
rabant  
nem si  
ter etia  
Baptis  
Nec  
Baptis  
sicut in  
pit nut  
matris,  
quasi in  
ideoque  
quantur  
ipsis te  
teste S.  
& 1. ad  
stolis ba  
Dice  
ageretur  
ternam  
dictio i  
discussio  
scit, si  
in votis  
sed so  
menti e  
præter c  
medium  
non ha

Sess. 7. can. 5. de Bapt. Ratio autem est voluntas Christi nobis abundè Joan. 3. manifestata: *Nisi quis renatus fuerit &c.* Unde ex eodem Concilio Trid. infantes, quamprimum commodè fieri potest, sunt baptizandi: quia non est conveniens, quòd parvuli modò sint deterioris conditionis, quàm in Lege veteri; atqui tunc quantociùs liberabantur à peccato originali sive per circumcisionem sive per remedium Legis naturæ; ergo oportet etiam in Lege nova quantociùs ipsos liberari per Baptismum.

*Nec obstat defectus usûs rationis:* quia cum Baptismus Ecclesiæ sit similis generationi carnali, sicut infans in utero existens non per seipsum accipit nutrimentum, sed sustentatur ex nutrimento matris, ità pueri nondum habentes usum rationis quasi in utero matris Ecclesiæ censentur constituti, ideoque per illius fidem & actus salutem consequuntur; praxis verò baptizandi parvulos jam ab ipsis temporibus Apostolorum in Ecclesia viguit, teste S. Aug. sic enim in Actibus Apost. Act. 16. & 1. ad Cor. 1. integræ familiæ leguntur ab Apostolis baptizata, in quibus utique parvuli erant.

*Dices cum Cajetano:* cautè & irreprehensibiliter ageretur, si periclitantibus in utero pueris ob maternam ægritudinem vel partûs difficultatem benedictio in nomine Trinitatis daretur, & causæ discussio dein Divino reservaretur Judicio, quis scit, si Divina misericordia hujusmodi Baptismum in votis parentum acceptat? ubi nulla incuria, sed sola impossibilitas executionem Sacramenti excusaret; accedit: quòd in Lege veteri præter circumcisionem masculi habuerunt aliud remedium peccati originalis; cur ergo in Lege nova non habebunt masculi aliud remedium præter

Bap-

XVIII.  
 illud moraliter im-  
 na ex jure cau-  
 silms.  
 aliquando suffi-  
 et impius ex  
 obagens de  
 stum gra-  
 Evangelium  
 aut ejus  
 ditum 4 de  
 derio Bap-  
 one formæ  
 decessisset,  
 propter Sa-  
 Sacramen-  
 non bap-  
 ptismo de-  
 lesia fide &  
 rit ab origi-  
 gandum esse  
 obaque illud  
 S. Aug. & ex  
 qui cenet Va-  
 mortuum, ni-  
 Baptismi, &  
 Tom. 7. dicit  
 idem & cordis  
 vices Baptismi,  
 Denique ex  
 Ecclesiæ, que  
 quinis etiam ag-  
 nihil est aliud,  
 casum martyrii  
 de pecc. orig. &  
 Sess.

Baptismum, quem conferre quandoque est impossibile?

R. Singularem Sententiam Cajetani, putantis deficiente opportunitate parvulos baptizandi, votum Baptismi à parentibus conceptum, atque exteriori signo expressum ipsis prodesse ad salutem, communiter ab aliis rejici; disparitas verò inter circumcisionem & Baptismum est, quod de præcepto Divino circumcisio differenda esset usque ad diem octavum, unde providendum erat de alio remedio ante diem octavum vitâ periclitantibus, Baptismus autem in Lege nova conferri potest, quamprimum infans natus est, non ante: quia nullus potest per Baptismum regenerari spiritualiter, qui non sit antè perfectè generatus carnaliter, nisi fortè juxtâ superius dicta natus in utero in se posset abluì.

### QUÆSTIO III.

*An, & quomodo tollitur fictio Baptismi?*

**B**aptismum fictè sed validè susceptum remoto obice conferre gratiam, dictum est de Sacramentis in genere; sed hìc quæritur ulterius, quomodo talis obex tollatur; ubi distinguendum est inter fictionem culpabilem & inculpabilem. Inculpabilis seu materialis fictio est, cum defectus debitæ dispositionis invincibiliter ignoratur, sive sit ignorantia juris sive facti, culpabilis & formalis fictio est, quando quis sciens vel culpabiliter ignorans indignè suscipit Sacramentum: quod dupliciter fieri potest, vel ut sciens omittat debitam dispositionem, vel ut cum ipsa susceptione conjungat peccatum mortale v. g. intentionem furandi:

aut

aut in  
Sacram  
exclud  
sanctif  
nisi se a  
re, si c  
veniale  
affectus  
Baptism  
illius pe  
non est  
DIC  
sed per  
Baptism  
torum p  
fessionem  
ad 2. S  
pabilem  
pernatu  
Sacrame  
Prim  
remover  
Baptism  
est attriti  
Dixi:  
fictè susc  
tollenda  
Sacramen  
catum ne  
peccata  
peccatis  
ta post Ba  
per Sacra  
nem per  
peccata p

aut infidelitatem de ipso Sacramento, vel ut ad Sacramento quis malè affectus sit, & talis fictio excludit effectum Sacramenti videlicet gratiam sanctificantem: cùm Deus nullum velit justificare, nisi se ad gratiam disponendo eandem velit recipere, si dispositionis capax sit. Cùm verò peccatum veniale non opponatur gratiæ & charitati, etiam affectus ad peccatum veniale non excludit effectum Baptismi nisi secundarium videlicet remissionem illius peccati, ad quod affectus fovetur, & quod non est retractatum.

DICO *fictio non removetur per Baptismum, sed per Pœnitentiam consequentem, quâ remotâ Baptismus aufert culpam & reatum omnium peccatorum precedentium Baptismum, & etiam simul existentium cum Baptismo.* S. Th. hic Q. 19. a. 10. ad 2. Sive licet ad removendam fictionem inculpabilem per se loquendo sufficiat sola attritio supernaturalis culpabilis tamen fictio removetur per Sacramentum Pœnitentiæ.

*Prima Pars probatur:* Illa dispositio sufficit ad removendum obicem, quæ fuisset dispositio in Baptismo; atqui in Baptismo sufficiens dispositio est attritio supernaturalis; ergo.

*Dixi: per se loquendo:* Quia si post Baptismum fictè susceptum commissa sunt mortalia, tunc ad tollendam fictionem per accidens erit necessarium Sacramentum Pœnitentiæ: quia, cùm unum peccatum non possit remitti sine altero, non possunt peccata commissa ante Baptismum remitti sine peccatis post Baptismum commissis; atqui peccata post Baptismum commissa non remittuntur, nisi per Sacramentum Pœnitentiæ vel per contritionem perfectam; ergo postquam commissa sunt peccata post Baptismum, ad remissionem peccato-

rum



rum antecedentium, & consequenter ad tollendam fictionem etiam inculpabilem necessarium erit vel Sacramentum Pœnitentiæ, vel si illud haberi nequeat, perfecta contritio.

*Secunda Pars probatur* : Ad tollendum peccatum hominis baptizati necessarium est Sacramentum Pœnitentiæ, quod vocatur idcirco secunda post naufragium tabula : eò quod sine illo vel in re vel in voto suscepto homini baptizato peccata mortalia non remittantur ; atqui fictio culpabilis est peccatum mortale hominis baptizati : quia est peccatum subsequens Baptismum ; ergo deletur solum per Sacramentum Pœnitentiæ vel in re vel in voto ; min. probatur : Fictio culpabilis est peccatum subsequens ipsam Baptismi susceptionem : quia in susceptione Baptismi consummatur, facitque Baptismum validè susceptum non habere suum effectum. Pro eo enim instanti, quo consummatur Baptismus, impedit gerens affectum ad peccatum mortale vel aliàs culpabiliter fingens se dispositum, ne causet Baptismus suum effectum videlicet Gratiam & Charitatem ; an autem in eo, qui credit, causet præter Characterem Fidem & Spem tanquam principia actuum ad Baptismi receptionem cum fructu disponentium est incertum.

*Dices* : Ex hoc sequitur, per Sacramentum Pœnitentiæ remitti peccatum originale : quia si per Sacramentum Pœnitentiæ conferatur Gratia remissiva peccati fictionis, etiam conferatur Gratia remissiva peccati originalis ac peccatorum Baptismum antecedentium : cum Gratia remissiva peccati fictionis sit impossibilis cum peccato originali & peccatis Baptismum antecedentibus.

¶ Quod dum suscipitur Sacramentum Pœnitentiæ

tentiæ  
fit non  
peccati  
tium qu  
Gratia  
origina  
vissent  
remissiv  
mi, se  
quantur  
causæ d  
missiva

Quia

DICO

Baptismi

S. Th. h

loco Bap

lege scrip

Const

illud en

tismi, q

atqui re

eundem

originale

mi, eum

cut mod

gantur in

itã ante

testatur

cepto da

bantur in

Pars

tentiæ infundatur quidem Gratia sanctificans, quæ sit non tantum remissiva peccati fictionis sed etiam peccati originalis & personalium tam antecedentium quàm subsequentium Baptismum, illa tamen Gratia, quatenus est formaliter remissiva peccati originalis, non est effectus Pœnitentiæ, sed reviviscentis Baptismi; quatenus autem formaliter est remissiva peccati fictionis est effectus non Baptismi, sed Sacramenti Pœnitentiæ, & Gratia in quantum remissiva peccati fictionis est in genere causæ dispositivæ prior quàm gratia in quantum remissiva peccati originalis.

#### QUÆSTIO IV.

*Quid in Lege naturæ & veteri Loco Baptismi?*

DICO: *Circumcisio habebat similitudinem cum Baptismo quantum ad spirituales effectum Baptismi.* S. Th. hic Q. 70. a. 1. ad 1. Sive in lege naturæ loco Baptismi fuit remedium legis naturæ, & in lege scripta circumcisio.

*Constat Conclusio* ex dictis de Sacram. in genere: illud enim in lege naturæ & veteri fuit loco Baptismi, quod ad eundem effectum ordinatum erat; atqui remedium legis naturæ & circumcisio ad eundem effectum nempe ad delendum peccatum originale ordinata erant; ergo erant loco Baptismi, eumque velut figuræ præcedebant, ita, ut sicut modo homines profitentur fidem, & aggregantur in unum cœtum fidelium per Baptismum, ita ante Legem Mosaicam per signum aliquod protestativum fidei in Christum venturum, & à præcepto dato Abrahamæ ejus descendentes congregabantur in unum cœtum per circumcisionem. hinc

Aug. lib. 6. contra Julian. cap. 3. *Sacramentum Circumcisionis in figura præcessisse Baptismatis, quis vel mediocriter sacris litteris eruditus ignoret. Datum est autem præceptum circumcisionis Abrahamæ, ut tum esset signum excellentis fidei in Abraham, tum ut esset signum rememorativum fœderis Dei cum Abraham Genes. 17. v. 11. Circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit in signum fœderis inter me & inter vos. quod fœdus tria continebat promissionem seminis multiplicandi, terræ Chanaan & Messæ de ipsius semine nascituri, ideoque præceptum hoc comprehendebat Posteriores Abrahamæ per Isaac & Jacob descendentes. De effectu Circumcisionis & remedii Legis naturæ supra dictum est.*

## DISPUTATIO XIX.

*De Confirmatione.*

**C**onfirmatio est sacra illa Cæremonia, quâ Episcopus frontem baptizati inungit sacro Chrismate sub certa verborum forma; appellatur hic ritus Confirmatio: quia suscipientem confirmat, illique dat robur spirituale ad firmiter corde credendum, & ore constanter confitendum nomen christianum; vel quia confirmat & auget gratiam in Baptismo susceptam; vocatur in Script. & à SS. PP. etiam manûs impositio, quia in exercitio hujus Cæremoniæ manus confirmantis imponitur fronti confirmandi.

## QUÆSTIO I.

*An Confirmatio sit nova Legis Sacramentum à Christo institutum?*

**D**ICO I. *Confirmatio est speciale Sacramentum.*  
S. Th. hæc Q. 72. a. 1. Q.

CON-